



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt XIX. Amor & obseruantia aduersus Fratres & omnes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

76 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
niendus fuerit, quàm vel in cella libris, cre-  
briùs orationibus intentus, vel in templi  
aliquo angulo in genua prouolutus deuo-  
tissimè Rosarium percurrens, aut contem-  
plationi vacans. Quisquis ei obuiasset, ni-  
hil nisi spirituales comprecationes mutuas  
responsionesque audire potuit: tantus erat  
sancti silentij cultor. Mirati hanc in eo exi-  
miam silendi virtutem homines plebeij &  
rustici, eandem mihi postea non semel  
deprædicarunt.

### C A P V T X I X.

*Amor & obseruantia aduersus Fratres  
& omnes.*

Q V A M V I S plurima eaque grauissima  
sustineret, attamen tantum abfuit, vt  
amor eius erga quemquam minueretur, vt  
etiam eo ipso velut oleo fatus in altum  
erumperet incendium; magisque ipse ad-  
uersus eosdem tum animi beneuolentia &  
propensione, tum charitatis officijs omni-  
que genere pietatis certare non desisteret,  
& ita non nisi cælestem ac C H R I S T O  
Domino consuetam talionem referre in-  
primis enisus fuit. Et sanè non tantum sibi  
æquos amicosque, sed & multò magis du-  
rissimos tantopere in C H R I S T O dilexit,  
Vt

vt amoris ingens flamma ex eius omni ser-  
 mone & actione emicare liquidò cernere-  
 tur : adeò nihil vñquam remisit de aman-  
 di ac benefaciendi studio, ac si nihil vñ-  
 piam sibi illatum fuisset; quin læsionem  
 omnem charitatis augmentum reputauit  
 & constituit. Qua verò obseruantia in  
 Fratres fuerit, illud indicat, quòd & singu-  
 larem ijs honorem exhibere semper stu-  
 duerit, eosdemque vt Patres suos pluri-  
 mùm reueritus fuerit: neque verò satis ei  
 erant consueta reuerentiæ signa & exerci-  
 tia, alia maiora & insignioris charitatis ac  
 profundæ humilitatis cultum indicantia  
 tamquam ex Tyronum numero minimus  
 exhibuit. Infimos porrò non minùs quàm  
 Superiores, imò quasi ipsum Deum suspi-  
 ciebat; ijsque vt se longè melioribus in-  
 signem honoris cultum assiduè impen-  
 dens, eorum iussis paratum dictoque au-  
 dientem celerrimè se exhibere consueue-  
 rat: sic vt eo etiam tempore quo alij ani-  
 mum lusibus Dilingæ in campis recrea-  
 bant, ipse à ludentibus Fratribus iussus, to-  
 tum illud tempus oratione pro illis fun-  
 denda tereret, nec nisi ab ijs aut signo do-  
 mum remeandi reuocatus desisteret; tan-  
 tæ erat obseruantia, tantæ simplicita-  
 tis. Quæ columbina gemma, præterquam  
 quòd

78 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
quòd totam vitam eius exornauit, in eo  
maximè eluxit, quòd vnde boues pronas-  
cerentur velut infans ignorarit. Illud hoc  
loco annectam, quo immensum eius stu-  
dium pietatem in alios etiam transfunden-  
di pateat. Dilingæ in altum perfectionis  
naui iam subducta, & ad sanctitatis pro-  
fundum appulsa, Nouitiorum, & eorum  
qui necdum ad Sacerdotium promoti do-  
mi in Cœnobio scholas frequentabant, &  
amore & cura singulari flagrans, eos mul-  
tùm, præsertim vnicis literis, simplici stilo  
sed suauis grauique spiritu conscriptis, ad  
omne pietatis genus & Religiosæ vitæ seria  
exercitia est adhortatus; in primis verò, vt  
singulis octo diebus Pœnitentiæ & Eucha-  
ristiæ Sacramenta diligenter & deuotè fre-  
quentanda arriperent, suadere conatus fuit,  
quòd ipse plurimùm ea ratione se in profe-  
ctu adiutum expertus esset.

## C A P V T X X.

VVILHELMI *cultus erga Patronos*  
& *Dominam nostram.*

**I**NSIGNI VVILHELMVS affectu & deuo-  
tione cæli ciues sibi iugiter colendos in-  
uocandosque statuit: quapropter omnem  
cælestem Curiam in septem Ordines di-  
gessit,